



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

11. De scientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

plificanda, tam serio fecerunt, id vos pro fide, quæ ex medio cœlo fluxit, non dico amplificanda, sed defendenda, vindicandaq; contra inimicos crucis Christi, nec sponte, nec rogati fecistis. *Dixi.*

ROBERTI TURNERI  
ORATIONCVLA X. ANTE  
Disputationem Theolo-  
gicam.

**L**ocus iste non fert orationem fusam de laude Theologiæ: nam cum hic locus sit rerum, sit dignitatis, sit maiestatis cuiusdam, stulte aperiretur tricis nugisq; verborum. Solent quidam præfati multa de laude Theologiæ, quæ eos ornat, sed solent peruerse, non ad normam: res enim Theologiæ cum habeant nomen speciemq; virginis, si comantur, poliantur, externæq; orationis veste ornentur, vix est, ut cum quendam meretricium (qui à Theologiæ vultu debet longissime abesse) non præ se ferant. Quare de Theologiæ laudibus nihil dicam, imo omnia dicam, si id verbulo monuero, Theologiæ laudem summam esse, non velle laudari: eamq; tanquam virginem, tum summe ornari, cum nihil ornatur. Sed ludo, vobisq; & mihi præcerpo tempus: in re ergo ipsa ponamus vestigium. *Dixi.*

*Non vir-  
ginum sed  
meretriciū  
est sese  
comare.*

ROBERTI TURNERI  
ORATIO XI. ANTE DISPUTA-  
tionem Philosophicam, De  
Scientia.

**N**ihil est in rebus extra controuersiam, quas res natura defixit in oculis, vsus in animis omnium confir-

confirmavit, illas stulta peruicacia vocat in disceptationem, nec disceptat vnquam: de sole sunt tenebræ, an luceat; de niue sunt turbæ, an albear: quid solem abscurum, niuem nigram loquor? potest vel ille non lucere, vel hæc non albere: nouæ nunc scholæ antiquæ parturiunt monstrum: quod? Sciunt quidam non esse scientiam: si sciant, vincuntur esse scientiam: si nesciant, cur sunt stulte obstreperi? . . . . .

*Cætera desunt.*

ROBERTI TURNERI  
ORATIO XII. ROMÆ AD ILLUSTRIS-  
SIMUM Cardinalem N. ante disputationem Philosophicam.

**E**T si natura res vniuersas machinata est ea siue te affabre, vt mireris formam; siue cura beneuolentia vt ames indulgentiam: tamen semper Patrum memoria fuerunt, ac hac nostra ætate sunt, qui huius temporis artificis perpulchras effigies oratione defigunt, seu potius indulgentissimæ matris singulari beneuolentiam incesto ore turpissime polluant: clamant Anaxander naturam esse imbecillem, quod hominem quendam quasi sui aureum partem tot mortis generibus exposuerit, vt aliter eum non videatur potuisse munire: ridet Democritus naturam esse stultam quod hominis vitam ineptiis quibusdam ac nugis confecerit, ac vndique impleuerit, vt videatur iam contempsisse non mundum ad hominis dignitatem, sed periculum naniarum quoddam instituisse theatrum ad deorum spectaculum. Plorat Heraclitus naturam esse miseram, quod vita hominis tot vndique malis tanquam spinis implicata est ac intersepta: vt videatur hic mundus non alio nomine tanta varietate pietus bellus quam vt omnium malorum lerna in eo rectius inleui latere

*Variorū  
Philosophorum  
de natura  
opinionēs  
diuersæ.  
Democriti.  
Heracliti*